

quorum primus, eodem Quintiliano auctore fide dignissimo, « *vehementi et poetico ingenio* » usus est, cum necdum « *senectute maturuisset* » qui a Vespasiano, ob ingenium acre et elatum, quingentis sestertiis donatus est. *Rabirius* vero et *Pedo* ita carmina epica conscripserunt, ut non eos indignos cognitione et laude Quintilianus idem censeat.

*Quint. X.
I. 90.*

*Genus
lyricum*

XXXX. Genus lyricum post Horatium defloruit. Etenim aetate hac, praeter Lucanum, Statium, Martiale, quorum carmina lyricalia alio loco recensuimus, poetae provenerunt, quorum opera, cum nullam in se artem atque laudem haberent, perenni temporum oblivione offusa sunt. Supersunt tantum *Calpurnii Pisonis* « *Eclogae* » septem, quae genere potius, quod posteris aetatibus placuit, servatae sunt quam poeticis ornatibus commendarentur. Huic Calpurnio criticis a quibusdam « *Elogium Pisonis* » adscribitur. In poetarum igitur tabulis eorum, quorum opera interciderunt, nomina tantum hinc illinc eruta ex rerum scriptoribus inseram. In his *Caesius Bassus* est, quem non ignobilem omnino poetam fuisse ad suspicandum ducor, eo quod Quintilianus eum post Horatium commendat dignum qui legatur. In his etiam *Tiberius Caesar*, qui « *Conquaestionem de morte Caesaris* » scripsit, *Virginius Rufus*, *Vestricius Spurinna*, *Pompeius Saturninus*, *Sentius Augurinus*, quorum mentio passim in epistulis Plinii recurrit; iisdem accedunt *L. Arruntius Stella*, qui columbae mortem quibusdam in carminibus ita deflevit, ut a Martiale superior Catullo habitus sit; tum *Passennus Paulus*, ex familia Propertii ortus, cuius vestigia secutus, alteram quasi illius imaginem carminibus suis expressit; tum *Nerva Caesar*, qui Tibullus alias ab aequalibus est appellatus; tum *Sulpicia* poetria, Calaeni uxor, quae muliebri quadam elegantia carmina amatoria nonnulla fudisse videtur.

*Plin. I. Epist.
16 IV., 27.*

XXXI. Spectant ad idem genus fabularum tragicarum loci nonnulli *Senecae*, quibus vel per concinentium cantica, quae Graece chorii dicuntur, suos animi sensus, ad quos

atrocitate rerum commovetur lyricorum poetarum more et numeris fundit, vel eundem in modum personarum metus atrocia facinora cogitantium et secum loquentium exprimit. Per chorū audaciam deplorat eoram, qui primi naturam et deos contemnentes vel provocantes se ratibus commiserunt :

*Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit ;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris ;

Venient annis saecula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes ;
Nec sit terris ultima Thule.*

Sen. Med.

Chor.

*Corinth. act.
prim.*

Insunt quibusdam in locis sententiae et cogitationes elatisimae, quae, cum a fabulis praecidi possint, res hominum universas et sensus attingunt. Studia vero et affectus, quae hominum pectora vexant, iis pietatis motibus, humanitatis, doloris exornat, quae tragicis in fabulis spectantium animos delectant et permoveant, ut, etiam si a Virgilio et Horatio depromat, tamquam propria et genuina e pectore erumpere ad communem condicionem significandam videantur.

XXXXII. Veniamus, quoniam hic sermone decurrimus, ad genus tragicum, in quo mirum est quantum *Seneca*, qui ex professo philosophorum sapientiam coluit, operae et studii posuerit. Eius enim genuinae novem numerantur tragediae, quae « *Agamemnon* » « *Phaedra* » « *Phoenissae* » « *Hercules furens* » « *Hercules Oetaeus* » « *Medea* » « *Oedipus* » « *Troades* » « *Thyestes* » inscribuntur. Istarum fabularum rem ex perennibus fontibus Graecorum, sive Sophoclis, sive Euripidis, philosophum profecto deprompsisse tituli, nexus, actionis personae ostendunt. Sed exemplaribus, quae sibi sequenda

*Senecae
tragoediae*

constituerat, longe inferior Seneca discessit. Etenim auxit rerum immanitatem, neque tantum auxit, sed ad eum illam invexit gradum, ut minus dignam efficeret, quae in mentes hominum caderet. Sermones autem alernos cum ampliores philosophorum disceptationibus atque turgidiores fecisset, vim tragediae, quae in actione expeditissima et cito ad epilogum properante posita est, vel multis dissipavit verbis, vel penitus dispersit. Rerum contextus non semper unus est; interdum unitate caret; neque in agendo et in colloquendo sibi usque constantes personae; animi motus concitatius et ardentius expressi vel hominum naturam satius necessario praetergrediuntur, vel fuco atque pigmento exaggerantur, ut oratorem potius, quam poetam decere videantur. Hac igitur de causa plurimum, ut diximus, in fabulis tragicis istiusmodi concinentium carmina laudantur et loci illi pulcherrimi, in quibus personae, sapientissimi et divini cuiusdam hominis instar, de humanis rebus et eventibus, astante atque audiente theatro, secum disputant et, tamquam si eos, qui audiunt, edoceant, sermocinantur. Nihilominus, cum ex veteribus tragoediis versus aliquot vix supersint, insigne Romanorum ingenii praebent documentum, ex quo colligimus in genere tragico non inepte Romanos, dummodo voluissent, elaborare potuisse. Senecae diu a nonnullis inscripta fabula alia est «*Octavia*» quae, cum tota Romana sit, praetexta dicitur; eam tamen translaticiam et suppositiciam credo, quia, ceteris ratiocinationibus praetermissis, quae optimae sunt, omnis ambigendi causa hac una re praeceditur, quod Neronis in ea mors distinctis et apertissimis rerum indiciis adumbratur, quae nos probe vetent, quominus fabulam conscribi potuisse cogitemus ante imperatoris mortem. Nero enim, ut scimus, tribus annis post Senecam obiit.

XXXIX. In fabulis tragicis recitandis potius quam in scaenis agendis cum Seneca nonnulli alii incubuerunt, in quorum numero recensendi sunt *Lucanus*, qui fabulam

« Medeam » inscriptam inchoavit neque perfecit, Faustus, Paccius, Rubrenus Lappa, Varro, Bassus, Scaevus Memor, quorum mentio apud rerum scriptores atque grammaticos est; denique Pomponius Secundus, qui quidem, Quintiliano testante, omnium longe princeps, eruditione atque nitore omnes praestitit. Ad fabulas comicas Sordinus Vergilius et Romanus, quantum novimus, se contulerunt, quorum alter palliatas et, qui mimiambi dicuntur, edidit. Ceterum, cum circorum ludis atque spectaculis homines aetatis, de qua loquimur, vehementissime delectarentur, conditiones illae defecerunt, concursus videlicet civium in theatra et plausus, quae tum ingenio et naturae, tum studio hominum vitia ridendi stimulos addere possent, si eorum quid tristissimis in rebus ad id tempus ex vetere libera civitate reliquum esset.

XXXIV. Genus autem, quod didascalicum dicimus, a Claudio Germanico Caesare excultum est, qui « gloria Pieridum summa » fuisset, nisi eum a litteris multa munera publica prohibuissent et ei vita suppeditavisset; triginta enim quattuor annos natus Antiochiae obiit, non sine suspicione veneni opera Cn. Pisonis propinati, atque, ut opinio tulit, Tiberii fraude, qui eum prius in filii locum Augusti iussu suscepserat. Eius saepe non sine laude Tacitus in Annalibus meminit. Apud Svetonium vero de eo haec verba leguntur: « Omnes Germanico corporis animique virtutes et quantas nemini cuiquam contigisse, satis constat: formam et fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens ». « Oravit causas etiam triumphales, atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comoedias Graecas ». Ex his nunc « Phaenomena » exstant, quae cum ex Arato libere atque egregie vertisset, Ciceronem, qui eidem poemati Latine reddendo, ut supra diximus, impense operam posuerat, superasse certissimum est. Hanc ob causam hoc poemate p[re]a Ciceroniano magistri in scholis utebantur, ut discipulos caeli dimetiendi artem docerent.

Genus didascalicum

Ovid. IV. ex Pont. 8. 70.

*Tac. II.
Ann. 69-73.*

Suet. Cal. 3.

Eiusdem Germanici «*Prognosticorum*» fragmenta supersunt atque epigrammata. Etiam de sideribus poema aliud est, quod «*Astronomicon*» inscribitur, a *M. Manilio* confectum. Hic Augusto imperante natus, aetate quae subsecuta est, floruisse videtur. Non defuerunt grammatici tamen, qui eum non Romanum, sed peregrinum dicerent, eiusque aetatem ad Arcadii Honoriique tempus transferrent. Poema quinque libris constans, quorum postremus inchoatus tantum est, rem omnem pertractat, quae ad caelum et sidera pertinet. In primo enim libro, quae caeli figura sit atque forma docet, in secundo duodecim signorum orbem describit, ex quo, sideribus nataliciis inspectis et perpensis, hominum singulorum auguria capiuntur, vel per siderum influxiones futurarum rerum eventus indagantur. Quamvis res ea sit, quae «*ornari ipsa neget contenta doceri*» nihilominus eam et prooemiis in unoquoque libro exordiendo pulcherrimis illustravit, et fabulis, descriptionibus, in quas opportune devertit, multifariam variavit, et modo vera, quae sint, homines edocens, modo falsa et superstitiones refellens, praeceptis et philosophorum sententiis poetice exornavit. Hac igitur rei obscurae et reconditae pertractandae ratione usus, varium, iucundum, eruditum poema exaravit, in quo tantum elegantiae Virgilii tantamque Lucretii vim atque artem deprehendere credas, ut dicendi genere et stilo illorum temporum haud indignum esse videatur. Ceterum, si verba quaedam excipias, quae poeta ex Graeco sermone mutuatur et excudit, ut res omnes suis certis atque propriis vocabulis nominentur, eius locutio purissima est et vere Latina.

XXXXV. Cum his etiam *Caesius Bassus*, quem paulo supra in lyricorum poetarum numero memoravimus, poema ad docendum aptum coluit. In poemate enim, quod «*De Metris*» inscribebatur, ut ex titulo ipso colligitur, artem versuum condendorum pertractavit. Hunc, tum argumento, tum rerum partitione, Terentianus Maurus Africus secutus

III. Astron.
39.

esse videtur, qui postea, ut suo loco dicturi sumus, vario carminum genere, de litteris, syllabis, pedibus, metris poema conscripsit. Claudii autem Neronisque aetate Senecae aequalis floruit *L. Iunius Moderatus Columella*, Hispanus origine, Gadibus ortus, qui cum rem rusticam omnem sermone soluto pertractare in opere instituisset, quod libris duodecim continetur, decimum librum «*De cultu hortorum*» cum esset scripturus, versuum Virgili horum meminisse videtur :

*Verum haec ipse equidem, spatiis exclusus iniquis,
Praetereo, atque aliis post cōmemoranda relinquo*

Virg. IV.

*Georg.
148-149.*

eiusque rogatu arcessituque de hortis librum quadringentis triginta quattuor versibus exaravit. Itaque partem prosecutus, quam Virgilius reliquerat, longe eo inferior fuit, quippe qui praecepta omnia similiter atque uno usque modo exposuisset; nihilominus temporum rationem si habeas, peregrinus cum esset, nitide atque eleganter quām qui maxime locutus est. Columellae etiam singularis exstat liber, qui ex re ipsa, de qua in eo agitur «*De arboribus*» inscribitur.

XXXXVI. Poema «*Aetnam*» inscriptum, quod exstat, multis auctoribus attributum invenio; alii enim Cornelio Severo illud proprium addicunt, cuius supra sermo fuit, alii contra Manilio inscribendum volunt; alii *Lucilio Iuniore* assignant argumentis, mea quidem sententia, probabilioribus usi. Etenim cum Lucilius hic iunior Siciliae procurator sub Nerone fuisset, Aetnae diutius visendi facultatem habuit, itaque usu atque experientia edoctus, ineptas fabulas esse ostendere potuit, quae de Vulcani officina, de Cyclopibus, de Iovis fulminibus, de Encelado, passim a poetis tradebantur. Ceterum poema a Lucilio fuisse confectum ex Senecae loco colligitur, in quo philosophus amicum hortatur, ut de hac re carmina condat. Hoc poematum, quod sexcentis amplius hexametris versibus constat, re ipsa singulare cūm sit atque novum, stilo quoque et orationis forma commendatur, quae

*Poematium
Aetna inscri-
plum*

*Senec. Epist.
79. 5.*

aurea aetate non indigna videntur, et iis verborum laudibus versuumque commendatur, ut non defuerint, qui poema inscribendum esse Virgilio putaverint.

XXXXVII. Hic denique poetarum huius aetatis recensionem peragenti, *Turnus* et *Sulpicia* in mentem occurrunt, qui cum maioribus illis, quorum paulo supra mentionem fecimus, satiras haud gratas temporibus scripserunt. *Turnus* igitur Suessae in eadem Lucilii patria natus, cum municipem sibi auctorem praecipuum imitandum constituisse, se « *ad satiras ingenti pectore contulit* ». Eius praeter versus duo obscuri — sunt enim corrupti et a germana profecto dictione mutati — in quibus de muliere venefica loquitur, Locusta nomine, quae sub Nerone fuit, nihil aliud ad nostram exstat memoriam. Etenim fragmentum triginta versibus heroicis constans, quod sub eius nomine aliquandiu circumlatum est, a Balzachio quodam Gallo exaratum esse inter doctos viros omnes hodie convenit; quibus quidem versibus eruditos homines, qui cum eo erant, quidem eum decipere voluisse censeo, immo conjectura ad suspicandum ducor sub veterum poetarum specie celatum poetis irrisisse, qui aequales erant. Multos post annos Turnum adhuc in honore fuisse ex loco Rutilii Namatiani colligimus, in quo eius nomen cum Iuvenale coniunctum memorat. *Sulpicia* autem haec, de qua nunc loquimur, eadem est, quam in lyricorum poetarum tabulas supra rettulimus. Huic enim poetriae satira illa a nonnullis criticis inscribitur, sermone alterno confecta, qua conqueritur, quod Demitianus philosophos et sapientissimos homines in exilium misisset; in istorum numero poetriae vir fuerat.

*Mart. XI.
Epigr. II. 1.*

*Rut. I. De
red 609.*

RERUM SCRIPTORES

XXXXVIII. Mihi solatae orationis rerum scriptores recensuro A. Cremutii Cordi imago in primis occurrit, non eius nominis tantum suavitate invitato, quod ex corde cadit,

*Cremutius
Cordus
veterum
Romanorum
imago.*

sed acerbi memoria fati commoto, cui vir innocentissimis moribus ornatus ob Tiberii atque Seiani invidiam succubuit. Ex stoicorum scholis *Cremutius Cordus* profectus, quo animo erat natura aperto candidoque, historiarum libros quosdam confecit, in quibus bella civilia narratione continua prosecutus, cum de imperii origine satis libere disserisset atque sermonem ad suam aetatem usque produxisset, quaedam exposuit, quae aliquid de Seiani laude detrahere visa sunt; videlicet vir praeclarissimus potius ingenio quam temporibus indulgens, cum, Tiberio dominante, nulla liberae reipublicae vel species vel umbra maneret, verum et vitae decus gratia longe pluris facienda esse censuit. Maiestatis itaque crimen accusatus est, quod in annalibus laudibus maximis Brutum cumulavisset Cassiumque, qui Caesarem necaverat, *ultimum Romanorum* appellasset. In manibus nostris oratio est, quam Tacitus refert, pulcherrima et constantissimo homine digna, qui, cum sibi supplicium parari intellexisset, nequissimis quibusdam Seiani clientibus prolatis testibus, ad Tiberium ita locutus est, ut non pro se, cuius nihil ex turpissima vita migrare interesset, sed pro dignitate poetarum, rerum scriptorum, oratorum, pro hominum quidlibet scribendi facultate defendenda dicere visus sit, quae, cum divinitus data sit, nullo ab homine hominibus potest denegari. Quam defensionem cum truci vultu a Tiberio excipi vidisset, sibi moriendum esse certior factus, causam suam peroratione nobilissima in memoriam posteram commendavit. « *Suum cuique* » inquit « *decus posteritas rependit. Nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti sed etiam mei meminerint* ». Singularia quidem atque divina verba! quibus sibi mox nominis immortalitatem perituro non uni, sed etiam libris, quos conscriperat, superfuturam esse praesagivit. Habita hac oratione, senatu egressus, vitam abstinentia finivit; at patres in imperatoris libidinem procliviores facti, Cremutii libros per aediles cremandos censuerunt. Attamen cum a

Tac. IV.
Ann. 34

Marcia filia eorum exemplar esset occultatum indeque ex illo nonnulla alia essent transcripta, clam in liberorum hominum manibus primum esse coeperunt, deinde, cum Tiberius mortuus esset, ab imperatore in lucem eos edendi facultas data est, dummodo sententiae quaedam ex iis circumciderentur « *quae dixisse ei nocuerat* ». Sed quos libros filiae pietas in patrem servaverat, incuria hominum saeculis, quae subsecuta sunt, interciderunt. Quo autem animo suas exaraverint historias *Seneca Maior*, *Aufidius Bassus*, *Servilius*, *Nonianus*, qui cum eodem Cordo aut paulo post vixerunt, nullo modo suspicari possumus. Operum enim eorum nullum exstat fragmentum, neque de iis iudicium scriptorum manet.

XXXIX. Assentandi vero consuetudini, cuius monumenta insignia iam Senatus ediderat, *M. Velleius Paterculus*, non indulxit modo sed penitus inservivit. In hoc homine magnum fuit dedecus, arbitror, Hirpinis gentibus, qui, ita blandum et molestum in historiis conscribendis se assentatorem exhibuit, ut cernas eum vitio depravatae voluntatis a stirpe sua degeneravisse, quae multis annis ante patriae libertatem una cum Samnitibus ad civitatum internacionem omnium defendisset. Eclani natus Velleius est, anno, ut videtur, a. Chr. n. undevicesimo. Tribunus militum factus in Thracia et Macedonia fuit; inde cum Romam revertisset, praefectus equitum renunciatus Tiberium arma in Germanos ridicule inferentem secutus est. Deinde quaestor fuit, Tiberii legatus, demum praetor. Libros duo « *Historiae Romanae* » inter munera otia, brevi tempore et celeritate qua potuit maxima exaravit, ac si occasione rerum narrandarum ideo uteretur, ut multa in operis fine de Tiberio uno esset praediturus. In libro priore, cuius initium interiit, res gestas multarum gentium summatim perstringit et cursim incunabula Romanorum exponit; in posteriore res ceteras ita narratione prosequitur, ut, cum ad memoriam recentiorem proprius accedat, eas aliquomodo dilatet atque amplificet.

*Quint. X.
Ins. 1. 104;
Sen. Cons.
ad Marc. 22;
Suet. Tib. 61.*

*Historia
Romana*

Attamen periochas non certo historias conscripsit, quamquam passim in narratione inveniuntur iudicia, quae de poetis, de rerum scriptoribus, de Homero, de Hesiodo, de Cicerone profert, vel de quibusdam viris, quorum mores insculpit. Virorum clarorum imagines, Scipionis Aemiliani, Mithridatis, Marii, Pompei, Caesaris, Maecenatis, Catonis Uticensis propriis lineamentis et coloribus effinxit et ad veri similitudinem mirum in modum expressit. Ad genus dicendi quod attinet, Sallustium sibi ut exemplar proposuit, ideo locutio elegans eius est et Romana, floridior atque turgidior, ut oratorium potius quam historicam referat orationem. Velleum traditum fama est Tiberii ipsius iussu esse imperfectum, quod una cum Seiano coniurationem fecisse deprehensus est.

Dictorum et factorum memorabilium libri

L. Cum hoc *Valerius Maximus* floruit, qui Tiberii adu-
landi studio Velleum aemulatus est, minore tamen ingenii
atque litterarum laude. Amplissimo genere Romae natus,
postquam cum Sexto Pompeo militavit, in Urbem reversus,
a munieribus liber in legendis condendisque libris reliquam
aetatem consumpsit. Ex multa sive Romanorum sive Graeco-
rum lectione profluxere «*Factorum et dictorum memorabilium libri IX*» in quibus clarissimorum hominum imagines, ut in
tabulis pictis adumbratae, res gestae memoria dignae, senten-
tiae et praecepta continentur, ex quibus iucundum, utile, leve
opus ad legendum efficitur. Rerum mirabilium narratione
potius quam verarum consideratione homines delectare cum
unum sibi statuisse, nulla aut veritatis, aut etiam credibili-
tatis habita ratione, mirifica et singularia ex historiis col-
laticios in libros transtulit. Ne tamen rerum silvam confuse et
permixte colligeret, ordinem quendam ex rebus affinitate
coniunctis sibi sequendum praestituit. Hac de causa res alias
ab aliis diversas in libros singulos digessit. Itaque in tabulam
aliam, quae spectant ad religionem, rettulit, in aliam, quae de
auspiciis tradebantur, in aliam somnia paeclarissima, quae
commemorabantur, in alias denique res ceteras huiusmodi,

quae homines percellunt. Cum non minus rerum novitate, quam orationis genere et artificio placere studeat, iis rhetorum ornamentis, sententiis, declamationibus, floridioribus fucatisque verborum coloribus, simplicia etiam, quae natura sua sunt, decorat et exaggerat, ut non minus propter haec nimius, gravis, molestus fiat, quam propter consuetudinem domui Augustae foedissime assentandi taedium ad satietatem ingeneret. Quarto p. Chr. n. saeculo, multis ex opere Valerii Maximi resectis et amputatis, *Iulus Paris* cetera in epitomen rededit, pauloque post idem *Ianuarius Nepotianus* egit, qui res novavit et variavit, ut longe satius ab auctore discesserit.

LI. Mirifica etiam facinora, quae hominum mentes animumqne moverent, cum sibi Q. *Curtius Rufus* invenire constituisset, oculos in Alexandrum Magnum defixit, cuius mirum est quot et quantae res gestae fabulis mirabilibus tradebantur. De aetate, qua Q. *Curtius Rufus* fuerit, satis inter eruditos homines disputatum est neque lis adhuc composita; alii enim eum ad Augusti aetatem arbitratu suo et nulla sane ratione referunt; alii autem ad Traiani tempora, alii plures ad aetatem Vespasiani. Neque defuerunt, qui Theodosii vel Constantini memoria eum vixisse arbitrarentur, aut etiam qui, in opinionum discrepantia, Rufum fuisse infitiari posse rati, eius historias a viro Italico, postquam Latinae litterae renovatae sunt, concinnatas dicerent. Cum causa nondum satis certis argumentis diadicata sit, iis equidem assentiri posse censeo, qui in Claudi aetatem Rufum putant incidisse. Hoc enim tempore Curtios Rufos duos vixisse certissimum est, quorum alter in Africa consul cum esset, senex multos annos natus obiit, alter huius filius, quem rhetorem illum esse credo, cuius apud Suetonium mentio est, res gestas ab Alexandro scripsisse videtur.

LII. Res gestas decem libris narravit, quos «*Historias Alexandri Magni*» inscripsit; eorum, amissis prioribus atque extrema libri decimi parte, ceteri exstant et cupide leguntur.

Tac. XI. Ann
21.

*Historiarum
Alexandri
Magni libri*

Non eos ad certam rerum fidem exegit, quamvis optimis usus sit auctoribus, inter quos Pompeius Trogus praecipuus est re-censemendus, sed ea ratione confecit ut, qua erat incredibili-mentis celeritate, res veras amplificando, vel multis fabulis miscendo, quasi floridius pabulum sereret, ex quo non medio-crem, qui legerent, voluptatem animo capere possent. Hinc fit ut mira et nova et portentosa utcumque de Alessandro in fabulis tradita, quae hominum mentes incredibilitate ipsa movere solent, vividioribus coloribus depingat, praetermittat contra vera, quae de illo memoratu dignissima tradebantur. Testes deverticula sunt, in quae inter res narrandas facile excurrit, locorum descriptiones, contiones et illustriores sententiae, quibus rem variat et novat; testis etiam stilus est atque orationis forma Milesiis fabulis quam historiae magis idonea tropis poetarum atque figuris distincta lucescentibus.

C. PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS

LIII. In rerum scriptorum tabulas, quas nunc conficimus, etiam referendus est C. Plinius Caecilius Secundus qui, ut probe a nepte eiusdem nominis distinguatur, *Maior* vel *Senior* saepius dicitur. Vir enim hic, quamvis litteratis hominibus notior sit propter variam et multiplicem doctrinam, quam in naturalis historiae libris exposuit, haud obscurior esse aequalibus historiarum debuit laude, quam fuisse summam suspicamur. Comi, in Galliae Transpadanae urbe, tertio et vicesimo p. Chr. n. anno ortus, Romam vix adulescens cum venisset, causas in iudiciis agere coepit. Deinde praefectus equitum creatus in Germania primum, in Gallia Narbonensi deinde versatus est, quoad eum Vespasianus revocavit, ut negotia et munera tum militaria tum civilia ei administranda committeret. Classi praeeerat, ad oras Miseni legendas, cum Vesevi montis incendium factum est, quod Pompeios ignibus,

saxis liquefactis, cineribus obruit. Plinius rei illius novitate commotus, quo facilius causas eius cognosceret atque perverstigaret, ita prope flamas cupidior accessit, ut nimio ignis calore fluminis instar ex monte profluentis combustus, sextum quinquagesimum aetatis annum agens se ipsum abstrusis rerum miraculis devovens nobilissimum vitae finem invenerit.

LIV. Philosophiae naturalis et ceterarum disciplinarum scientiam, qua unus Romanorum insignissimus fuit, multa lectione atque rerum pervestigatione comparavit. Otio atque tempore, quod inter munera administranda studiis non impendisset, male se usum esse censebat, subsecivas horas atque vigilias multas, ut ingenio suo indulgeret, ad studia quotidie conferebat. Hac instituta vitae ratione incredibile est quot non modo aliorum volumina perlegerit et pervolutaverit, sed etiam quot quantaque ipse conscripserit. Librorum atque scriptorum elenchos sive Romanorum sive Graecorum, quos legit, tot in primo « *Historiae naturalis* » libro exhibet et alligat, qui non una, sed multis bibliothecis vix capi possint; inscriptiones librorum, quos Plinius confecit, ex ipsius neptis recensione novimus. Ad genus historicum, praeter libros duo « *De vita Pomponii Secundi* » qui in fabulis tragicis edendis versatus est, opera duo pertinebant, quorum primum « *Bellorum Germaniae libri XX* » inscribebatur, secundum « *A fine Aufidii Bassi libri XXXI* ». In prioribus, quae cum gentibus Germanis populus Romanus bella gesserat, memorabantur; in posterioribus res gestae eorum imperatorum narrabantur, qui in eius aequalem memoriam inciderant. Quod autem opera haec interciderunt, doctos homines et totius antiquitatis investigatores hac de causa quam maxime piget, quia, si extarent, Taciteis cum narrationibus fieri posset comparatio, ex qua haud parum luminis ad res illas obscuras illustrandas proveniret.

LV. Ex eadem librorum enumeratione, quam in neptis epistula esse diximus, iis etiam disciplinis eruditissimum

*Mira viri
industria*

*Plin. Iun. III
Epist. 5.*

*Historiarum
libri*

*Libri de
rebus ad
grammaticam
spectantibus*

fuisse Plinium colligimus, quae ad provinciam litteratorum hominum et grammaticorum spectant. In libris tribus, qui « *Studiosi* » inscribebantur, rhetorum artem pertractabat. Quaestiones et disputationes, quae inter eruditos de sermonis formis et nexibus fiunt, qua ratione nomina et verba iis sint immutationibus subicienda, quas flexiones appellamus, quo pacto vocabula ab aliis vocabulis cadere et provenire dicantur, quibus verborum ambitus connectendi legibus sint, variae verborum interpretationes « *Dubii sermonis octo libris* » continebantur. Rem etiam militarem attigit; nam librum unum « *De iaculatione equestri* » confecerat, cum in Germanis militiam faceret, qui in proeliis equis utebantur. Hic quoque « *Electorum commentarii centum sexaginta* » nominandi sunt, in quibus diversas res et varias notatu dignas ex veterum auctorum scripturis ea mente decerptas collegerat, ut singulas postea pro uniuscuiusque specie in singulos libros referret.

*Plin. in
prooem. Nat.
Hist.*

LVI. His praestantissimi ingenii monumentis deperditis, una tantum philosophiae naturalis laude Plinius celebratur; neque immerito, inquam. Prae manibus enim omnium sunt volumina, quae « *Naturalis historia* » inscribuntur, ponderosa sane atque aspera, quae « *nec admittunt excessus aut orationes, sermonesve, aut casus mirabiles, vel eventus varios, non alia iucunda dictu, aut legentibus blanda, sterili materia* ». Rei auctor arduae conscientia animadvertisit iter sibi ineundum esse, quod nemo ante trivit. « *Nemo* » inquit « *apud nos, qui idem tentaverit, nemo apud Graecos, qui unus ea omnia tractaverit* ». Cum omnia hoc uno in opere attingat, quae ad artium et disciplinarum descriptionem pertineant, optimo iure « *ἐγνωκλοπαιδεία* » quandam ille composuisse dici potest. Ex ingenti rerum silva, quam undique congesit, liceat nobis videre quae praecipua sint, atque hunc in locum, si fieri poterit, summatim atque breviter referre, quo facilius viri singulare ingenium et industria summa perpendantur.

LVII. Confectis itaque tabulis, quae in primo libro sunt,

et scriptorum et librorum, ex quibus, tamquam ex fontibus, notitias illas haurit, quas ad praestitutum ordinem exigit, in libris, qui ad sextum sequuntur, de mundi caelique natura plura et pulcherrima docet. Cum caelum Deum ipsum esse dicat, cuius numen in spatiis infinitis sentimus, multa de caeli forma atque motibus disceperat, de stellis sideribusque, de dimetiendorum astrorum arte, de solis luce, de tenebris nocturnis, de caelestibus ceteris, quae ex illis proveniunt. Deinceps oculos ad terrarum orbem devertit, cuius aequora, regiones, montes, flumina, ac si omnia ipse peragraverit, describit, adiectisque quibusdam de imbribus, de ventis, de rebusque omnibus aliis, quae in aere fiunt, populos quoque, qui id temporis terras incolebant, omnes recenset, multaque eruditio eorum originem, mores, instituta atque religiones exponit. Pars vero praecipua et quasi totius operis caput, libris continetur tredecim, qui accedunt. In his enim — utar auctoris verbis — *rerum natura, hoc est, vita narratur* quae in hominibus viget, in animalibus, in iis, quae e terra proveniunt. Quae hominum generis stirpes sint, quae formae corporum et figurae, qui aspectus et colores, distinguit et explanat; item facultates, mentem, rationem, sensus indagat, quibus homines ad intelligendum et ad sentiendum utuntur. Multa de iis, quae ad hominum mores spectant, edocet; virtutes, vitia enumerat, instituta, ex quibus bene constitutae civitates, artes sordidae et liberales oriuntur, quorum auxilio cum cibum, potum, cetera necessaria homines comparaverint, vitae cultum, deliciis atque commodis inventis, suae quisque naturae consentaneum effingunt. Ad genus inde animantium, quae ratione carent, sermonem deducit atque in species terrestrium, aquatilium, voluerium, insectorum partitur. Habita utilitatis ratione de animantibus disputat; quae ad vescendum, ad vehendum, ad corpora vestienda maximo usui sunt, ab iisque distinguit, quae vel venenis vel immanitate nocent. His pertractatis, ad philosophiae naturalis partem

*Naturalis
historiae
argumenta*

*Plin. in
prooem. Nat.
Hist.*

*In finita
rerum silva
et notitia*

transit, quae in iis pervestigandis posita est, quae e terra
gignuntur. Duplex istarum species est, altera arborum, altera
herbarum; ex illis aliae sativae sunt atque frugiferae, aliae
silvestres, aliae peregrinae, omnes diversas ob causas homini-
bus utilissimae. quae fruges, ligna, unguenta suppeditent.
In multitudine herbarum sunt, quae sponte sua e terris ortae
pabula animantibus praebent, aliae sativae, quas in agris
cultis homines serunt, ut messem inde faciant. Hinc suum
iter retrorsum quasi relegens, rerum usum omnium, de
quibus hactenus locutus est, per tredecim libros, qui ad
trigesimum alterum sequuntur, ea mente inspicit, ut rationem
edoceat, qua ex herbis, ex floribus, ex stirpibus, ex anima-
libus, ex medicatis aquis, remedia et medicinae confici possint
ad sanandos varios corporum hominum morbos satis idonea.
Tertiam rerum naturalium partem, quae in metallorum,
pervestigatione versatur, quinque postremis libris explet, in
quibus de metallorum generibus et natura agit, de auro,
de argento, de aere, de ferro, de ceteris huiusmodi, nec non
de marmoribus, de argilla, de gemmis, de artibusque et
rationibus hominum, qui illa in terris abdita inveniunt
inde eruunt et tractant. Loci quidam delectationis et pleni
notitiarum sunt, ut ii in quibus pingendi insculpendique
artem exponit; rem gravem recordatione variat virorum,
qui mira artis architectonicae opera extruxerunt, vel tabulas
pinxerunt, vel signa deorum et statuas insculpserunt. Placet
mihi mirificum Italiae elogium ex tertio libro referre: «*Nec
ignoro ingrati ac segnis animi existumari posse merito si
breviter atque in trascursu ad hunc modum dicatur terra
omnium terrarum alumna eadem et parens, numine deum
electa, quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret
imperia ritusque molliret et tot populorum discordes ferasque
linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia et huma-
nitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium
in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? tanta nobilitas*

Plin. III.

Nat. Hist. 5.

omnium locorum — quos quis attigerit? — tanta rerum singularum populorumque claritas tenet, urbs Roma vel sola in ea et digna tam iam festa cervice facies quo tandem narrari opere? qualiter Campaniae ora per se felixque illa ac beata amoenitas, ut palam sit uno in loco gaudentis opus esse naturae? Iam vero tota ea vitalis ac perennis salubritas, coeli temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica silvarum genera, tot montium adflatus, tanta frugum vitiumque et clearum fertilitas, tam nobilia pecudi vellera, tam opima tauris colla, tot lacus, tot amnum fontiumque ubertas totam eam perfundens, tot maria, portus gremiumque terrarum commercio patens undique et tanquam iuvandos ad mortalis ipsa avide in maria procurrens. Neque ingenia ritusque ac viros et lingua manuque superatas commemoro gentes. Ipsi de ea indicavere Grai, genus in gloria sua effusissimum, quotam partem ex ea appellando Graeciam magnam! ».

LVIII. Virum omni doctrina abundantem et excultum in his voluminibus se nobis Plinius exhibet, qui infinitam prope rerum varietatem, quam carptim ex bis mille amplius auctoribus et Graecis et Latinis deprompserset, ad rationem quandam et conformationem doctrinae primus exegit, mirabilique ordine et nexus abstrusa omnia et recondita veteribus hominibus non collegit modo, sed « *vetustis novitatem dedit, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae suae omnia* ». Res sane ardua temporibus illis. Neque item ignoro multa, quae Plinius tradidit, satis inepte scripta hodie videri, at cum novis cognoscendis rebus doctrina crescat in dies, multa etiam eorum, quae nos nunc certa atque vera credimus, falsa in posterum fortasse reperientur. Hoc itaque vitium hominum potius conditioni ascribendum est, qui rerum in tenebris latebras indagant, quam Plinii ingenio tribendum, qui cum rerum naturalium scientia iaceret, eo veritatis

Plin. in
prooem Nat.
Hist.

studio flagravit, ut in vero quodam ardentius perscrutando amiserit vitam. Ceterum vir praestantissimus, si qua repudianda reliquit, laude orationis ea profusius pensavit; quae quidem oratio ea est, ut mirum fortasse videatur, in opere tam vario tamque eruditionis pleno, etiam cum rusticis verbis, externis, barbaris, a rebus ipsis uti cogatur, auctorem non Latinum modo colorem servasse sed perspicuitatem atque elegantiam, quae in scriptoribus aequalibus desiderantur.

P. CORNELIUS TACITUS

LIX. Atrocissima imperatorum facinora apud memoriam posteram infamiae nota P. vel G., ut Sidonius opinatur, Cornelius Tacitus commendavit, qui insigne et praestantissimi animi monumentum tum edidit, cum Latinae litterae in principum adulationem foedissime prolapsae eorum etiam qui in omne genus crudelitatis eruperant, cum pristina dignitate amiserant decus et nomen. At iacentem Tacitus populi Romani conscientiam et libertatem in se unus erexit atque tragico in tyrannos odio commotus, quod tristissimo multorum silentio aenorum aluerat, maximum historiae sonum vocis addidit atque ad veritatis officium unus revocavit. Hanc ob causam in eius imaginem, quam quidem ex Annalium lectione animo concepi atque effinxii, mihi saepenumero mentis oculos defigenti ex optimis liberae reipublicae temporibus miraculo quodam in corruptissimam aetatem demigratus ille videtur; indeque munere et officio perfunctus, quod ipsi immortales viri demandaverant, insciis quasi hominibus, ad sedes suas devertisse. Etenim, cum pauca admodum sint, quae eius aequales nobis de eo prodiderunt, neque qua urbe, neque quo sit certe natus anno, hactenus novimus; etsi non desint recentiores nonnulli, qui ad annum p. Chr. n. quintum quinquagesimum, Interamnae quidem, eum esse ortum probare

conentur, causa ea praesertim innixi, quod in maioribus suis historicum hunc nostrum M. Claudius Tacitus recensebat, qui bis centum post annos imperator fuit. De se ipse autem Tacitus haec protulit: « *Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti: dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim* ». Quibus, ut patet, verbis honorum cursum adumbrat, quem perfecit. Ad munera publica imператорum potius voluntate quam studio suo adductus a Vespasiano ad vigintiviratum arcessitus esse videtur, qui ineunte modo adulescentia accipi solebat; post autem, Tito imperante, ad quaesturam gradum fecit, quae sibi aditum praebuit ad senatum; deinde propter Vespasiani favorem aedilitatem vel tribunatum plebis adeptus est, altius postremo, auctore teste, ad praeturam provectus; anno autem p. Chr. n. septimo nonagesimo exeunte, consul suffectus renuntiatus est et ex consuetudine T. Verginium laudavit, qui tunc de potestate decebat. Uxorem Iuliam, Agricolae filiam, habuit, quam illi iuveni pater desponderat, sed non ante consulatum collocavit.

Tac. I. Hist. 7

Tac. XI.

Ann. II;

Plin. II.

Epist. 1. 6.

Tac. Agric. 9

LX. Adulescentulus in rhetorum disciplinas industria summa incubuit, in foroque esse coepit oratores, qui tunc florebant, incredibili audiendi studio impulsus. Ex hac itaque industria atque studio liber ille provenisse videtur, qui « *Dialogus de oratoribus* » inscribitur, ad dignoscendam tum Romanorum, tum Graecorum eloquentiam omnem perutilis et undique perfectus. Historiam hanc hoc profecto consilio iuvenis ardens exaravit, ut, comparatione facta inter oratores aetatis suae et illos, qui eadem arte atque usu superioribus saeculis floruerant, corruptae eloquentiae causas indagaret, etiam si nullo ipse modo removere posset. Maiores nostri omnes fere dialogum de oratoribus aut Plinio Iuniori, aut Quintiliano, aut etiam Suetonio addicere consueverant; at eruditii homines, qui nunc sunt, nullo fere dissentiente, dicendi quidem genus in dialogo non idem ac in ceteris

Dialogus de
oratoribus.

operibus esse fatentur, quod ex Ciceronis imitatione procedit, attamen nullam causam idoneam inveniunt, cur contra codicium auctoritatem Tacito ascribi non debeat.

LXI. Libri ceteri, in quibus res gestae continentur, multis annis post conscripti sunt. Tacitus videlicet, quo erat animo in omnibus vitae partibus et prudenti et moderato, minime sibi vitae periculo occurrentum esse censuit, ratus id, si contigisset, civibus oppressis vel reipublicae profuturum nihil. Testem exhibeo auctorem ipsum: « *Sciant, quibus moris est inclita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis ascendere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt* ». Mortuo Domitiano, qui ferociter et crudeliter imperaverat, cum res Romana, umbris offusa, luce quadam illustrari coepit, et tempora veteris quasi libertatis imaginem prae se ferre et nova imperatorum dignitate exhilarari quodam modo visa sunt, tum vir clarissimus in virtutem usque erectus, rebus melioribus recreatus, in historias se contulit in iisque sensus illos effudit, quos diu multumque in animo pressos aluerat. Servato igitur temporum ordine, quo in singulis vicissim libris conscribendis auctor versatus est, primus ille nobis occurrit, qui « *Germania* » inscribitur. Duabus hic partibus constat, in quarum altera de origine et situ, de moribusque ac populis Germanorum universe inspectis loquitur, in altera singillatim ea, quae singularum gentium aut propria et praecipua sunt, aut memoratu digna videntur, narratione fusiore prosequitur. Mores tum domesticos tum publicos notat, instituta, leges, religionem explicat, vel cum Romanorum confert; quibus rebus Germanorum virtuti plurimum laudis tribuit, et eos, admiratione an timore aliquo affectus nescio, in exemplum civibus suis affert, praesagiens et quasi animo divinans gentes istas molem Romanam esse eversuras.

LXII. Liber, qui « *De vita et moribus Iulii Agricolae* »

Tac. Agric.

42.

De Germania

inscribitur, secundum occupat locum. Partes eius duae, ut ita dicam, diversae, laudatio funebris socii Agricolae, et Britanniae insulae descriptio, perbelle quidem apteque in eo connectuntur, ut aureus ab omnibus libellus habeatur. Adumbratis in exordio atque descriptis imperii condicionibus, mores et vitam Agricolae ea animi commotione effingit et repraesentat ac si per elogium patrem suum mortuum defleat. In altera vero parte res Agricolae in Britannia gestas enarrat, captaque occasione notitias multas populorum prodit, qui in insula penitus orbe divisa incolebant. In postrema libri parte Agricolae atque temporum suorum imaginem depingit: «*Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit; nihil metus in vultu; gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentiis praedito, quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat; speciosae contigerant. Filia atque uxore superstibus potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, futura effugisse. Nam sicut ei [non licuit] durare in hanc beatissimi saeculi lucem ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras auris ominabatur ita festinatae mortis grande salacium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu, rem publicam exhaustit. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Masso Baebius [iam] tum reus erat: mox nostrae duxere Helveticum in carcerem manus; nos Mauricum Rusti-*

*De vita et
moribus
Agricolae*

Tac. Agric.
44 - 45

cumque divisimus, nos innocentia sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis». «Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguntur magnae animae, placide quiescas, nosque domum tuam ab infirmitate et mulieribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est». Dicendi genere, orationis forma, operis compositione perpensis, colligitur auctoribus praecipuis Caesare Sallustioque eum esse usum. Eruitur etiam, cum scriberet, animum intendisse ad illa maiora opera duo, quorum aliud «*Historiae*» aliud «*Annales*» nuncupantur. «Noh tamen pigebit» ait «vel incondita atque rudi voce, memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse». Quibus sane verbis utriusque operis praecipui argumentum significat.

Tac. Agric. 3. LXIII. Res igitur, quae in utroque opere continetur, eadem est, quamvis ad aetates diversas referatur, hoc est rerum gestarum historia. Altero nomine opus alterum inscripsisse videtur, quia *Annales* ex sententia Gellii, grammatici appellare solebant narrationes rerum, quas scriptor non viderat, *historias* contra illarum, quibus auctor ipse quasi spectans interfuerat. In historiis igitur, quae saltem libris duodecim constabant *memoriam prioris servitutis* a Neronis excessu ad obitum Domitiani, in quam sua pueritia et prima adulescentia inciderat, litteris atque monumentis mandavit. Integri ex historiis libri a primo ad quartum exstant, quintus vero ad partem dimidiam; ceteri hominum incuria perierunt. Servitutem vero superioris memoriae ab excessu divi Augusti ad Neronem usque duodeviginti libris narratione perpetua

prosecutus est. Hi quoque libri maximam partem evanuerunt, nam sunt quattuor primi et, praeter quaedam quinti et sexti libri fragmenta, pars dimidia altera undecimi, libri a duodecimo deinde ad quintum decimum, denique etiam prima pars decimi sexti. Dolendum igitur quam maxime est, quod temporibus iniquis, cum multae ad nos pervenerint ineptae imperatorum laudationes et nugae, tot tantaque detimento fecerit praeclarissimum historiarum monumentum. Damna accepta vir quidam eruditissimus, Gallus stirpe, Broterus nomine, multa quidem diligentia et industria sarcire atque scripturis suis supplere ausus est, notitias ex auctoribus ceteris, qui sunt, ita in libros suos commentarios referens, ut eos iisdem nervis eodem stilo atque colore depingeret et ad quandam veteris integritatis speciem Taciti opus utrumque restitueret. Pari dicendi ratione usus, epitomas quasdam exaravit, in quibus res gestas Nervae et Traiani complexus est *testimonium praesentium bonorum* ipse exhibens illud, quod morte interceptus ex praestituta sententia detimento historiae summo conscribere Tacitus nequiverat.

LXIV. In Annalibus igitur atque Historiis res Romanas omnes ab excessu Divi Augusti ad Domitiani obitum ita servatis temporum ordinibus prosequitur, ut earum in primis causae aliae cum aliis aptae atque necessitate nexae penitus perspiciantur. Id sibi proponit et aperte testatur : « *Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status Urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur* ». Qua quidem nova inita scribendi ratione, non facta tantum et eventa, si qua aut illustria, aut insignia id temporum evenierunt, non arma tantum et bella in gentes externas atque nationes illata Tacitus litteris mandat, sed rerum civilium potius rationes in animis hominum repertas acerrimo mentis

acumine notat et explicat aequaliumque mores, studia, vitia, virtutes sollerter perscrutatur, ut ex his causis duo illa suprema civitatis mala provenire ostendat: auctam in dies senatus populique servitutem et ignaviam nec non obitum bonorum fere omnium atque occasum. Turpissima facinora imperatorum, libidines foedas, inexplebilia odia et arbitria notat et dinumerat; itemque civitatum desolationes, agrorum vastationes, Urbis incendia, clarissimorum civium, oratorum, sapientium, poetarum occisiones, quibus per iniustitiam, per vim atque rabiem, per insaniam, immanitatis ipsius instar, imperatores atque eorum administri in universum hominum genus saevire atque debacchari delectati sunt; frendenti animo colligit, refert et congerit iisque verbis atque fuscis coloribus vel cursim adumbrat vel fusius describit, ut, omni tegumento detracto, formidolosum quid et horrendum ante oculos ponat, quod timorem in legentium animis et pavorem incutiat. «*Praecipuum munus*» ait «*annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit*». Raro in narrationibus reperiuntur virtutis exempla, temporum magis vitio, quam scriptoris incuria; qui privatorum, si qua sint, egregia undique virtutis monumenta conquirit, quae fuscis in tenebris, tamquam lumena quaedam micantia, corruptis ceterorum civium moribus opponat. Ergo si aut decoris aliquid aut honesti et probi, si quid erectae et constantis conscientiae ei inter narrandum occurrat, incredibili quodam gaudio et divina quasi laetitia afficitur, ac si reperiens quod penitus periisse crediderat, hominum conscientiam et constantiam, ex diurna totius perturbatione valetudinis tamquam ad aspiciendam lucem revocetur. Virtutem libertae cuiusdam, Epicharis nomine, in exemplum commendat, quae exquisitissima maluit supplicia perferre, quam coniuratorum nomina Neroni indicare: «*Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharim attineri ratusque muliebre corpus impar dolori tormentis*

Fac. III.
Ann. 65.

Fac. XV.
Ann. 57.

dilacerari iubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acerius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. sic primus quaestionis dies contemptus. postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae — nam dissolutis membris insistere nequibat — vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim conscos edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet saepsisset ».

Hanc ob causam ex rerum scriptoribus, qui de moribus ac virtute disputant, primus vel dicam solus, Tacitus est, quippe qui, cum permovere animos et ad bona impellere et a malis deducere sibi proposuisset, id quod egregie voluerit, tantaque in re tamque difficulti sit consecutus apprime. Nullo ad finem hunc aut artificio, aut rhetorum adminiculo utitur: nam in eo tantum virtutis atque libertatis studium est, tantum odium, quo natura et ingenio homines in servitudinem vel turpitudinem pronos prosequitur, ut quos in se sensus et alit atque animadvertisit, commotione et mentis concitatione ipsa ceteris quoque facili communicet sermone. Dicendi genus adhibet suum et singulare, ita pressum ita concisum, ut Tacitea brevitas apud litteratos homines in proverbium venerit atque sui admodum simillimus nec aliis rerum scriptoribus comparandus exstiterit. Oratio eius, gravibus sententiis et subtilissimis morum notationibus frequentata, perlucens est, quamvis in ea Livii elegantia et facilis Salustii perspicuitas desideretur, quibus auctoribus utitur. Ex Taciti cum Livio comparatione discrimin idemque maximum aliud inter historias utriusque interesse colligitur. Nam

Tacitea
brevitas
orationis